

$\pi h$   
272





Q. 541, 96<sup>a</sup>

# REFUTATIO

II h  
272

Opposita *ἀνώνυμος* autoris thesibus, quibus humanam naturam foeminei sexus impugnat,

IN QVA PRÆCIPUÆ CALVMNIAE huius mendacis spiritus refutantur, quæ sit illius intentio ostenditur. Et studiosi pietatis omnesq; Christiani monentur, ut sibi caueant à tam Diabolico scripto.

CONCINNATA

à

Collegio studij Theologici Lipsensis.  
Anno M. D. XCV.

*Ἐν ἀνώνυμον γυναικομακίγῃ.*

*Mente cares, si res agitur tibi seria, contrà*

*Fronte cares, si sic ludis inanis homo.*



L I P S I Æ

Excudēbat Abraham Lamberg.



OTTAVIANO

1512

1513

1514

1515

1516

1517

1518

1519

1520



DECANVS, SENIOR ET DOCTORES  
Studij Theologici Lipsensis, Beneuolo Lectori S.

**S**i fuerunt, qui ingenij ostentandi causa, & ut probarent, quanta sit virtus atq; efficacia eloquentia in utramq; partem (De qua Cic: 2. de Orat: affirmat, quòd tantam viam habeat illa, quæ rectè à bono poëta dicta est Flexanima, atq; omnium regina rerum oratio, ut non modò inclinantem erigere, aut stantem inclinare, sed etiam aduersantem & repugnantem, ut imperator bonus ac fortis, capere possit) ea, quæ laudem & commendationem haud quaquam merentur, quin potius vituperio digna sunt, eximijis ornarunt encomijs, ut quidam quartanam, alius podagram, nec non  $\mu\omega\gamma\iota\alpha\upsilon$  tertius ita extulerunt, ut nisi ratio & experientia contrarium testarentur, iurare quis posset, esse ista mala in numero  $\tau\omega\upsilon$  &  $\acute{\alpha}\iota\gamma\epsilon\tau\omega\upsilon$  habenda: tamen, & argumenti absurditas per se refutat verborum plausibiles fumos, & si quis velit fidem adhibere huiusmodi Phaleratis dictis, sensus testimonio confutatur, & sunt materiae tales, quæ magis ingeniorum lusum referant, quàm ad eum spectent scopum, ut in commodent rebus communibus. Nam laudes quartanam, podagram &  $\mu\omega\gamma\iota\alpha\upsilon$  quantum voles & potes: tamen molestia te docebit, in genere  $\tau\epsilon\lambda\tau\omega\upsilon$  hæc ipsa mala, tanquam pœnas peccati esse numeranda.  $\mu\omega\gamma\iota\alpha\varsigma$  &  $\epsilon\gamma\kappa\omega\mu\iota\omega\upsilon$  videtur obstare studio sapientia, verum si intentio auctoris spectetur, hoc agit, ut ostendat, nihil in hac vita perfectum esse, & in omnibus nostris actionibus aliquid incidere, quod stulticiam resipiat: cum nihil sit ab omni parte beatum: quo ipso, qui sunt saniores inflammantur, ut maiorem diligentiam adhibeant in literarum studio, quòd quàm minimum stulticia appareat in

ipsorum operibus. Ac praesertim qui sciunt, unde vera sapientia petenda sit, ad Christum se conferunt, qui factus est nobis à Deo Patre, Sapientia, Iusticia, Sanctificatio & Redemptio. Et sumenda sunt actuum discrimina non ab obiectis, quae possunt esse similia, sed à causis interioribus in mente & voluntate, impulsivis nimirum & finalibus, quae discernunt eas principaliter, licet externa specie eadem videantur. Apparent autem illa ex tractatione negotij cuiusq; in qua tandem quiq; se prodit, quo animo hoc vel illud susceperit, dixerit ac fecerit.

Quae cum ita habeant, non potest illis accenseri, quibus propositum fuit, ingenij sui quoddam edere specimen, & quantum possit oratio humana, ostendere, vanissimus Jeurra, qui  $\text{Ἰουδαίου λόγου}$  contra muliebrem sexum his nundinis suppresso suo nomine, nec addito loco, unde prodierit tam improbus factus, edidit; male sibi ipse ominas, futurum, ut si innotesceret autor tam contumeliosi scripti, animadversionem publicam incurreret. Nam quod non voluerit ingenium suum ostentare, neque vira dicendi, quae in se fuit, palam facere, cum ea mera sit infantia, & futilitas rerum bonitate destituta, in qua ipsa dicendi fundamenta impingens, quam hoc commento omnibus pijs & eruditis viris deridendam proponavit, ita ut nec dialecticum, nec Sophistam, sed prorsus sycophantam agat: hoc indicio est, quod per latus huius argumenti, quod sibi tractandum sumsit, confodere conatur praecipuos fidei Christianae articulos, & fundamenta, quibus in illis probandis utimur, hominibus profanis exagitanda proponere. Nam confert ea cum illis, quae ipse & actoris & rei atq; iudicis partes sustinens pro libitu suo contra muliebrē sexum adducit, atq; ita tractat, ut sua causa non multum obesse possint: cum tamen sacra & prophanae literae luculentissimis testimonijs plena sint, quibus probetur, mulieres hominum generi esse accensendas.

A: 300, quod modo dictum est, propositum fuisse huius

fanaticos spiritui (non enim ausim hominem dicere, qui homi-  
ne matre non sit editus in lucem, fortè tertium quiddam exi-  
stens inter hominem & spiritum, hybrida similis, & infelix  
Satana propago) statim in vestibulo vaniss. nugarum suarum,  
nò obscure patet, suo se inatcio, veluti sorox, prodens, quan-  
do rationes, quibus Orthodoxi blasphemias Antitrinitariorum  
& Anabaptistarum aeternam Trinitatem & Diuinitatē Filij  
Dei impugnantium, refutant, ijs facit similes, quæ pro fœminico  
sexu hominum generi annumerantur, ab ipso Sophisticè affe-  
runtur, quas sicut ipse exhibet, exagitat & nullius momenti  
æstimat: ita eiusdem valoris esse innuit, quæ pro aeterna Tri-  
nitate & Christi diuinitate adducuntur à nobis argumenta.  
Atq; inde nemini est obscurum, ipsi non hoc principaliter fuis-  
isse propositum, ut miseræ mulierculas è censu hominum ex-  
autoraret, sed Filium Dei è sanctiss. Trinitatis solio, quantum  
in se deturbaret. Namq; huc tendit, ut huius argumenti tam  
absurdi tractatione ostendat, nos veris destitui fundamentis  
è sacra scriptura petitis, quibus aeternā Trinitatem & Christi  
Deitatem probemus.

Quanta verò vanitate & impudentia os impurum &  
scelestum hoc affirmet, testantur publicæ nostræ cōfessiones hac  
in doctrina cœlestis parte editæ, ut cū hac bestia hic non libeat  
congregari: sed quid bestiam voco, bestia multò deteriore: quippe  
cum bestie viriusq; sexus suæ speciei individuum producant,  
nomen suæ originis referens; quod tamen hic prostituti pudoris  
scurra hominum generi prorsus adimere conatur.

Et quòd hoc agat, ut Filij Dei aeternam Deitatem, hoc  
ludicro argumento proscindat, etiam in Thes. 44. palàm pro-  
dit, quando affirmat, non mortuam fuisse puellam, quam  
Christus excitauit: sed tantum graui oppressam somno: ut o-  
stendat se ex numero illorum Epicuraorum & eipnautor esse,  
vel

vel illis adhuc multò deteriozem, qui, cum Christus affirmaret  
puellam dormire, certò scientes, quòd animam exhalasset, ip-  
sam veritatem Janis & ludibrio excipere non sunt reueriti.  
At si hoc concedamus, non fuisse mortuos, quos Christus excita-  
uit, sed tantum dormisse, tum neq; in Lazaro quadriduano  
verum edidit miraculum, sed hoc Epicuri de grege porco au-  
tore, mera fuerunt prestigia, similes illis, quibus agyrta & im-  
postores interdum vtuntur, hominum sensus perstringentes, ad  
conciliandam autoritatem suis nugis & erroribus, quos spar-  
gunt in populum. Verum si hìc cesserimus, quid fiet de alijs  
Christi miraculis, quae eadem facilitate atq; iisdem technis elu-  
di poterunt? sicut meminimus aliquando, quendam Christum  
in mari ambulantem conferre cum ijs, qui arte & usu sibi com-  
parant hanc facultatem, vt gressu composito sibi subijciant a-  
quas, tanquam densam molem, & super illis incedant. Sed in-  
crepet Dominus in te Satan, & sit spiritus tuus, qui vocauit te,  
& ad hoc argumentum tractandum instigauit, & cursus tuus  
quo curris, & omnes, qui participant tibi Antitrinitarij &  
Anabaptiste, tecum & cum vestris blasphemijs in perditio-  
nem. Sicut scriptum est, currebant, & non mittebam eos. Lo-  
quebantur, & non mandauit eis.

Vt autem diuinitatem Filij Dei hac tractatione irritò co-  
natu confodere pertentat: ita quoq; eius verae humanitati non  
parcit. Nam quis credat ipsum verè hominem natum esse, si  
Maria virgo mater ipsius homo nequaquam fuit. Nec iuuat  
ipsum, quod hoc argumento constriictus & conuictus, ne pror-  
sus videatur absurdiss. erroris se autorem prabere, & quòd  
quadam praoccupat, quod obijci poterat dicendo: Mariam sin-  
gulari gratia & priuilegio hominem dici. At si hoc concess-  
serimus, & hanc rimam Satana aperuerimus, facile obtines-  
bit cum



bit cum Manichæis, corpus Christi tantum fuisse phantasma corporis unde omnia, quæ pro nobis egit & passus est, non λύτρα nomen merebuntur, sed erunt mera ludificationes, quibus imponere voluerit miseris hominibus, plus satis afflictis mole peccati & sensu ira diuina, faciendo illis spem redemptionis in carne nostra perficiendæ: quam tamen nunquam personali unione assumerit. Et quæ erit certitudo promissionum diuinarum de Messia nascituro ex semine Abraha, si Maria ex numero hominum sit exautoranda, vel saltem ex gratia iuxta hunc κᾶκνοπ ὄλην homo fuerit. Quomodo gloriari poterimus Christum esse nostrum Immanuelem, carnem de carne, & os ex ossibus nostris? & quæ constabit pronuntiati Apostolici veritas, Christum participem factum carnis ac sanguinis perinde ac reliquos infantes, qui in utero materno concepti, in lucem eduntur; si specie non conueniant gignenes ac genitum.

Nam quam putidum sit commentum ex mulieribus tantum facere organa generationis, & quàm friuola sint similia quæ pro illo probando adducit thes. 9. vel pueri, qui primis labris Philosophiam attigerunt, intelligunt, quibus etiam ex Dialecticis constat, quod mas & fœmina sint due causæ essentialiter ordinatæ ad hominis generationem.

Sicut autem omnem fidem & spem, quam in Christi persona, officio, meritis & beneficijs repositam habemus conuelle-  
re irritò proposito contendit: ita etiam resurrectionem mortuorum in dubium vocat. Nam quod affert de filia Iairi non verè mortua, sed tantum sopita atq; oppressa somno, non modo ad impugnandam Christi diuinam potentiam & fidem detrahendam miraculis ipsius facit: verum etiam vnicum nostrum asylum & portum, ad quem die nocteq; omnes Deum rectè colentes, se peruenturos sperant, incertissimū reddere nõ  
veretur.



veretur. Nam quid de nostra resurrectione statuemus? cum hic incitantur nervi argumentorum, non postremi momenti: quando exemplis eorum, quos Christus in vitam reuocauit, non modo probamus diuinam eius omnipotentiam, qua cunctos mortales verbo reuocauit in vitam: sed etiam nostram resurrectionem certo futuram demonstramus.

Hoc si obtinuerit hic nugator, quid sperandum erit de hoc *ἄβυσσῳ* seculo, in quo sola mora dilati diuini iudicij tantam excitat securitatem, ut vix ullis legibus efficiendis peccandi licentia compesci queat. Quid fiet, si persuasum sit hominibus, se pecudum more interire absque ulla spe resurrectionis, & metu extremi iudicij, in quo omnium dictorum & factorum ratio reddenda sit, quam accuratissima. Vera est enim Tertulliani vox de hoc Epicureo furore: Nemo tam carnaliter viuit, quam qui negant carnis resurrectionem. Negantes enim poenam, despiciunt & disciplinam. Contra, fiducia Christianorum, est resurrectio mortuorum, eodem autore.

Negque subleuat hunc *ἐπιπροσέτι*, quod se tantum mulierum resurrectionem negare pretendit, cum sicut dictum fuit, hoc argumentum tanto conatu non traheet eam solum ob causam, ut hoc iniquum & impium postulatum obtineat, sed ad uniuersalem omnium hominum resurrectionem aditum sibi prepararet facilimum. Nam quid promptius erit, quam hoc obtinere, viros quoque perpetuo mansuros in morte, & animas ipsorum una cum corporibus, brutorum more, interituras, si hoc ipsi concedatur, mulieres esse tam tristes conditionis. Nam sicut hedera non suspenditur propter unum vini cantharum, sed ut integra doli diuendantur: ita Satan quoque non uno lapsu, vel errore contentus est, sed hoc agit, ut ex gutta mare & Iliada malorum, mille artifex fraudum scelerisque magister, importet.

Quod

Quòd enim de Sacramentarijs rectè pronunciauit D.  
D. Lutherus S. memoria, non hoc agere Satanam, ut eos tan-  
tū impellat ad hoc doctrina Christiana caput impugnandum,  
sed ut hoc factò initio per istos subinde magis magisq; progre-  
diatur: hoc ipsum iam comprobauit euentus & experientia.  
Ad eum quoq; modum non insistet hic spiritus in hoc argu-  
mento, sed propositum sibi habet totum  $\sigma\upsilon\sigma\eta\mu\alpha$  articuloꝝ  
fidei nostræ conuellere, omnemq; certitudinem detrahere do-  
ctrina, quam profiteamur: præsertim cum omnes ipsius  $\pi\eta\lambda\omicron-$   
 $\gamma\iota\sigma\mu\omicron\iota$ , quibus humanam fæminei sexus naturam impuden-  
ter ac frivole impugnare conatur, hoc innitantur principio,  
quòd fæmine non  $\kappa\alpha\tau\alpha\ \tau\omicron\ \rho\eta\tau\omicron\nu$  homines in sacra scriptura di-  
santur: ut ita sibi viam struat ad impugnanda vocabula  
&  $\pi\iota\epsilon\delta\ \Theta$ , &  $\rho\omicron\mu\omicron\sigma\omicron\iota\varsigma$ , nec non euertendum Pedobaptismum,  
& alia, quorum res in biblijs comprehense continentur, licet  
nomina ipsa non extent: atq; ita sublatiis vocibus res ipsas eò  
commodius canino dente impetere queat.

Postremò non obscuris indicijs colligo, hoc quoq; propo-  
situm fuisse huic scriptori, quòd cupiat fenestram aperire con-  
fusioni libidinum, & currentibus in hoc scelerum stadio apud  
Anabaptistas calcas addere. Nam ut persuadeatur infirmior  
ri sexui, ut se eò libentius prostituat impuriß. nebulonibus,  
omnia communia debere esse inter Christianos, etiam ipsas vx-  
ores, absq; ullo pudore contra manifestiß. Scriptura dicta,  
contententibus, adimit illis omnem metum diuini iudicij &  
pænarum quæ iustiß. ordine iustitiæ Dei scelera comitantur.  
Nam quòd hac in vita perferunt molestiam, hoc non ratione  
cõmissi peccati illis imponi improbè affirmat, sed eodem modo,  
quo, bestia reliquæ quæ sæ experiantur difficultates, quas ta-  
men in legē diuinā peccasse nemo vnquam affirmauit, aduer-  
sis &

sis & doloribus eas conflictari nugatur. Atq; hoc est quod intendit Satan, quando mentem & calamus huius scriptoris ad tale commentum euulgandum incitauit.

Quòd enim ex Anabaptistarum & Antitrinitariorum numerus sit ἀνώμους & non dignus, cuius nomen in libro vite scribatur, & labijs Christi pronuncietur, non dubijs indicijs colligitur desumptis ex hoc abortu plusquam Satânico.

Primum enim Germanicam versionem biblicorum, qua utuntur Anabaptistae, non obscure commendat Thes. 31. eamq; orthodoxa, qua in Ecclesijs Euangelicis recepta est, praferendam ducit.

Deinde eundem cum ipsis errorem contra diuinitatem & humanitatem Christi tuctur, ut ex precedentibus planum factum est. Nam ita illorum argumenta pro hac blasphemia asserenda, adducit, ut non obscure ipsis deferat.

Tertiò commendat hominem fanaticum Bernhardinum Ochinũ, eumq; magnum vocat Coryphaeum Anabaptistarum, quod illorum deliria defenderit.

Quartò, Lutherum sectarijs annumerat Thes. 29. qui doceat hominẽ sola fide iustificari. Nam Lutherus cum sua doctrina, è fontibus Israël petita est sudes in oculis fanaticorũ spiritũ, qualis praesertim est colluies Anabaptistica, ex omnium hereticorũ tam veterũ, quàm recentium nocentissimis erroribus conflata.

Plura essent, quae notari possent in hoc scripto, sed libuit, quàm primum hæ τερὰ βρογία ad manus nostras peruenerunt, tantum crassiores & maximè insignes & perniciosos pietati & bonis moribus errores ὡς ἐν τὐπω ἡγεῖν ἐν πῶδ'ω attingere: cum sola illorum cõmemoratio, pio pectori rectè instituto sit refutatio, & nulla sit linea, quae non errore scateat, vel si veritatem  
conti-

continere videatur, eo sine sit allata, ut, sicut Satan, quando verum dicit, sua tātum cupit stabilire mendacia: ita hic quoq; nugigerulus huc spectet vera falsis miscendo, ut hoc obtineat, quod intendit, hoc est unico ictu omnē fidei nostrae basin conuellat ac prosternat.

Et sapienter monet quidā, non nimis exquisitē crassa mendacia & vanissimos errores esse refutandos, ne vel autores illorum aliquā inde gloriolā venentur, & in suo sibi labore & inuentione placeant; vel rudiores offendantur, & otiosa atq; ad malum prona ingenia inde occasionē petant, applaudendi talibus nugis. Nam quae est cordis humani prauitas, citius locum dat vanitati, quā veritati: quod inde est, quia primi parentes nostri relicto verbo Dei patulas aures praebuerunt Satanae mendacio. Et sicut sordes, quo magis agitantur, eò latius sparguntur & grauius offendunt nares: ita metuendum, ne nocentiss. mendaciorū venena eò plures inficiant, quò accuratiore trutina examinantur.

Qua verò adducere voluimus tanquā crassiora, in hunc finē sunt prolata, ut ex hoc unguiculo studiosa pietatis iuuentus, & omnes, quibus cura est salus animae suae, cognoscant leonē rugientē, qui circumit singulis momentis & indefesso studio, quē deuoret, querit, & per sua organa nocentiss. errores etiā sub argumento, ne in speciē quidē probabili, spargit, ut quā plurimos in his mundi fecibus & extremis tēporibus, quando videt instare iudicium extremum, quo aeternis adiu dicabitur cruciatibus, nec multum spacij grassandi ac furendi sibi restare animaduertit, sibi asciscat aeternarum pænarum socios.

Qua

2112  
TH  
OK

Quæ cum ita habeant, & nunc constet quis sit yvior & huius scripti autor, Satan nimirum ipse, quo dictante tales blasphemias & impudentes calumnias ac criminationes excepit, & in publicum miser iste, qui ei suam locavit operam, nequiter spargit: hortamur Studiis pietatis & honestis literis deditam iuventutem, & omnes in quibus est aliquid sanæ mentis, ut non modo abstineant à lectione tam perniciosi tractatus, memores illius, quod ex Menandro citat Apostolus: Corrumunt bonos mores colloquia prava: verumetiam, ubicunq; illum inveniunt, opprimant, & Vulcano tradant, ne in manus & conspectum piorum hominum veniat, his sole & lectione indignus & diabolicus fœtus: ut ita sexui muliebri sua restituatur dignitas, qua à DEO ornatus est, non prabeatur infirmis conscientijs offendiculum & occasio, de sua salute dubitandi, nec afflictis maior addatur afflictio, Christi persona & merita non proscindantur tam inauditis & immanibus conuitijs, deniq; ne inuratur nota incertitudinis doctrina, quam per DEI gratiam profitentur harum regionum Ecclesie & schole. Idq; faciant omnes propter honorem diuini nominis & salutem propriam, cui hoc impudentiss. commento certissime struuntur insidia. Scriptum 19. Ianuarij, Anno Filij Dei nati ex Maria virgine hominis veri, ex homine vera 1595.

Decanus, Senior & Doctores  
Theologicæ Facultatis.

Pan. Th 272 QK

ULB Halle


3

002 400 235









# REFUTATIO

II h  
272

ἠωνίμῃ autoris thesibus, qui  
humanam naturam foeminei  
sexus impugnat,

PRÆCIPUÆ CALV-  
endacis spiritus refutantur, quæ sit il-  
stenditur. Et studiosi pietatis omnesq̃  
ni monentur, ut sibi caueant  
tam Diabolico scripto.

CONCINNATA

à  
udij Theologici Lipsensis.  
M. D. XCV.

ἀνώνυμον γυναικομάχεια.  
ares, si res agitur tibi seria, contrà  
ate cares, si sic ludis inanis homo.



L I P S I Æ

at Abraham Lamberg.

